



DE UNICORNU. 249

meter eò extendebatur, ut vix utraque manu capi posset. Unde ex alio Indiae animali fuisse putat *Aldrovandus*, *Baccius* verò ex eo quod *Marcus Paulus* in *Besma* repertum describit. Malè tamen ex cornuum diversa magnitudine distinguunt cornigera, quæ varia longitudine sæpiùs luxuriant in eodem animatorum genere, ut in stupendæ magnitudinis cornu Cervinis ramis diffuso ad pedes undecim in *Ambiani* Templo quod *Ligeris* alluit, vidimus; si modò naturâ potiùs quam arte conditum persuaserit credulitas. Parvorum quoque subinde grandiora cornua prodeunt eo pondere, ut ferendo impares etiam caput ægrè tollant. De *Apris* Indicis auctor *Plinius* lib. 8. cap. 52. dentium geminos flexus cubitales ex rostro, totidem à fronte ceu vituli cornua exire, ut etiam longitudinem cornuum justam mensuram excedentem ex regionum mutatione metiri debeamus, ex ætate gravi, & liberaliori pastu. Paucis id indicavit *Aristoteles* lib. 8. *Hist.* cap. 28.

L 5

In-